leant impartiri, niſi adeò graues & enormes exceſſus fuerint q̄ ſint ad eandem Sedē merito deſtinandi. ¶ Fratres etiam, quos pro tempore vos Generalis & Prouincialis Miniſtri, nec non & vices veſtras gerentes, ac etiam vos Cuſtodes in proprios Confeſſores habueritis, abſolutionis, & diſpenſationis beneficium vobis [cum expedierit] valeant impartiri, iuxta formam conceſſionis ſuper abſolutione, & diſpenſatione Fratrū eiuſdem Ordinis veſtri ſuperius factę. ¶ Et infra. Inſuper inhibemꝰ vniuerſis Fratribꝰ veſtri Ordinis, ne aliquis eorū, niſi in neceſſitatis articulo alijs, quàm Prelatis ſuis peccata ſua cōfiteri pręſumāt: vel alijs Sacerdotibus eiuſdē Ordinis, ſecundū regulā, & eiuſdē inſtituta.

¶ Capitulum Generale. Ab excommunicatione pro iniectione manuum violēta poſſit Cuſtos abſoluere, vel Guardianus, ſi Prouincialis pręſentia infra diem naturalem non poſſit haberi: aut Vicarius Guardiani, ſi Prouincialis vel Guardiani preſentia infra triduum minime poſſit haberi. ¶ Hoc autē tam priuilegium, quam ſtatutum, non intelligitur de iniectione attroci: vel ſubditi in Pręlatum.